

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Confessio c
cum fontibus primis

Seruus peccati quo fugit;
secum se trahit quocumque fugerit.
Non fugit seipsam mala consciencia;
non est quo eat.
Sequitur se, immo non recedit a se.
Peccatum enim quod facit intus est.

Plerumque homines cum dominos malos patiuntur,
uenales se petunt; non quaerentes dominum non habere,
sed saltem mutare; seruus peccati quid faciat?
quem interpellat? apud quem interpellat?
apud quem se uenalem petat?
deinde seruus hominis aliquando sui domini
duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit;
seruus peccati quo fugit?
Secum se trahit quocumque fugerit.
Non fugit seipsam mala conscientia,
non est quo eat,
sequitur se; immo non recedit a se;
peccatum enim quod facit, intus est.

Augustinus Hipponensis, *In Iohannis euangelium tractatus CXXIV.*, 41.4 (CCSL 36, R. Willems ed., p.359, ll.7-15).

Vis audire consilium?
Si uis a Deo fugere,
ad ipsum fuge confitendo, non ab ipso latendo.
Confiteri enim potes, latere non potes.

→ Ubi enim non est Deus? Si ascendero, inquit,
in caelum, ibi es; si descendero in infernum, ades
(Psa. 138:7-8). Quo iturus es? quo fugies?
Vis audire consilium?
← Si uis ab illo fugere, ad ipsum fuge.
Ad ipsum fuge confitendo, non ab ipso latendo:
latere enim non potes, sed confiteri potes.

Augustinus super Iohannem.

Augustinus Hipponensis, *In epistolam Iohannis ad Parthos tractatus*, 6.3 (PL 35, col.2021).